

*Weidnerus* duabus contra Clericum insurrexit Dissertationibus; alterâ de voce *רשית*, alterâ de voce *כרה*. Quoad miraculum transitus Israelitarum per mare rubrum, Clerici audaciam notavit *M. Joh. Ludolph. Strumpfius* in *Disp. de Divisione rubri maris miraculosa*, Giess. an. 1708, & *Marckius* *Exercit. Exeget. VI. §. 16. pag. 118. seqq.*, sicuti idem miraculum non detritorum in deserto vestimentorum vindicatum ivit. *l. c. §. I. p. 88. seqq.* Scriptum quoque contra *Nostri* de *Angelo increato* *Ψευδεργημάτων* pollicitus est *Mart. Jac. Oovmannus* *Tr. de Lotione Manuum Judaicis usitata* pag. 195. Sexcentos alios sicco prætereo pede. Dicto modò an. 1696 *ὄντων ὁμῶς* publico dedit *Clericus* *Reflexions sur ce, que l'on appelle Bonheur, & Malheur, en matiere de Lotteries, & sur le bon usage, qu'on en peut faire.* vid. *Placc. Theatr. Anonym. num. 2580. p. 636. b.* Eodem tempore *Noster* sub larva *Philareti*, evulgavit *Ethleam*, duobus libris comprehensam, quam multis nominibus commendatissimam nuncupat *Struvius* in *Biblioth. phil. p. 114.* Pedem promoveo ad annum 1697, quo doctus hicc Criticus enixus est *Artem Criticam*, duobus absolutam voluminibus, quibus tertii loco *Voluminis* adjecit an. 1700, *Epistol. Criticas & Ecclesiasticas*. Enim vero varix in arte hacce Critica desiderare cœperunt *Joh. Henr. Majus* in *Repetiti Examinis Historia Critica N. T., à R. Simone vulgata, Appendice ultima, cui tit. Introductio ad studium philologicum*, impr. pag. 12. seqq. nec non *M. Joh. Benj. Miculus* in aliquot contra *Artem Criticam* *Disputationibus*. *Anonymus* quoq; *Anglus* *Artem Criticam* adoriri ausus fuerat in *Libr. sub tit. a free but modest censure of some late controversial boocks*. Et licet *Clericus* *Epistola Apologetica*, (quæ est inter *Epistolas Criticas* p. 335. seqq.) suas meditationes tueri omnem moveret lapidem; *Autor* tamen *Anglus* in *Tr. Hammond and his Paraprase and Annotations on the New Testament Vindicated &c.* in subjunctis *Animadversionibus*, affirmare haud erubescit, *Clericum* in ista *Apologia* errores potius sibi objectos, auxisse, quam emendasse, imò p. 79. concludit, *Clericum* in *Arte Critica* *Socinismo* propagando insudasse. vid. *Act. Erud. an. 1700. p. 364.* *EPISTOLAS* autem *CRITICAS* doctiss. *William Cave* infestare studeuit *Epistola Apologetica adversus iniquas Joh. Clerici criminationes*. vid. *Act. Erud. an. 1701. p. 68.* *Aur. der Unschuld. Nachr. an. 1702. p. 975. seqq.* *Eckardus* in *den Monatl. Auszügen. an. 1700. mens. sept. pag. 561.* Neque annum 1698. sine fœcundi ingenii documentis præterlabi passus est *Noster*. Huic enim acceptum refertur *Novum Testamentum ex versione vulgata, cum paraphrasi & annotationibus* *Henr. Hammondi*, quod ex *Anglica*